

se Rodano ferat, ei tamquam superbie fortioris sese tamen humiliat, et sibi suum auferri nomen ab eo, seque cum eo fert in mare defferri. Quo Rodanus quoque, iuxta regnorum divisionem sub primo cesare Ludovico totus imperialis huc usque, quo usque in mare se recipit, dimidius incipit esse regalis. Irrogavit huic urbi famose notam infamie, quod in ea fertur extinctus per nefandi Lugdunensium ducis et sceleratissimi¹ proditoris Andraganii scelus² imperator ornatissimus graciarius titulis Gracianus. Egressis Lugdunum apparuit nobis nobilis urbs Vienna, que et ipsa ad instar Lugduni rupium imminentibus est obumbrata preruptis et Rodano preterfluente precipitata. Cuius est mater ecclesia legionis Thebe³ ducis et Agaunensium martirum signiferi Mauricii precioso sanguine consecrata. Testatur in epistolis suis Immarus⁴ Remorum archiepiscopus et⁵ Remensis scriptor annalium Flodoardus, contra Carolum Calvum regem Francorum civitatem istam predictum Burgundie ducem tenuisse Gerardum, sed regem obtinuisse⁶; perhibent heroice cantilene, Francorum quoque refert hystoria, quod idem Carolus Calvus, cum adeptus esset imperium Romanorum, Bosonem de prepotentibus unum Burgundie, cum dedisset ei coniugem nepotis sui secundi Ludovici cesaris filiam, primum regem huius constituerit civitatis, et Gallie trans Rodanum universe⁷, quamvis eum primitus habuisset exosum, eo quod esse videretur incentor discordiarum inter ipsum et ducem Gerardum. Huius⁸ adhuc tumba regalis in maiore perspicitur ecclesia civitatis, sed et Valentie posite supra Rodanum urbis ecclesiam donari dignis á rege donariis honoravit. Ab hac urbe progressi, remote paululum a Rodano civitatis Aurengie portas intravimus, et palatium excellentia quondam operis et nunc quoque nomine gloriosum⁹, de quo digno et celebri preconio decantatur Affricanos eiecisse paganos sancti et Deo dilecti virtus infracta Guillermi, magnifici principis Provincie Narbonensis. Mox invenimus et venimus Avinionem, munitissimam et decentissimam civitatem, ubi Rodani non dormit impetus, sed de venerabili et memorabili Aia civitatis eiusdem domina, mentio quamvis apud nos celebris, est sopita. Properavimus hinc versus Arelátem nobilissimam civitatem, haud procul á predio, quod beato dedisse Remigio Gothorum rex legitur Alaricus ob gratiam puelle nobilis Tolosane, cum á sancto Benedicto¹⁰ benedictione vacua revenisset, per

1) 'scelestissimi' fol. 139. 2) Er hiess Andragathius. 3) 'Thebei' fol. 128; 'Thebex' fol. 139. 4) D. i. Hinkmar. 5) quia 1. 2, wohl durch Missverständnis des Zeichens. 6) Hincm. Ann. 870; Briefe Hinkmars kannte er vielleicht aus Flodoards Hist. Remensis; sie beziehen sich aber nicht hierauf. 7) Boso liess sich 879 eigenmächtig zum König krönen. 8) Bosonis. 9) 'gloriosi' fol. 139 v. 10) Petro; s. Vita S. Remedii, Auctt. antiquiss. IV, 2, 66.